AD

ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM

AC DOMINUM, DOMINUM JOANNEM FRIDERICUM, DUCEM VVirtembergicum & Teccium, Comitem Montisbeligardi, Dominum in Heydenheim, &c. Dominum meum Clementiſsimum.

Quicquid præcipies, eſto brevis: ut citò dicta
Percipiant animi: *Carmine* Flaccus *ait*. Horat. de arte Poët.
Iſtud non ſegni nec tardo pectore volvit
Doctor HAFENREFFER magnus in arte Sacra.
Namq; tui juſſu conſcribens Inclyte PRINCEPS
Quicquid ſalvificæ ſpectat ad Artis opus:
Nunquam caſſa ſolet rerum ſua verba referre,
Nec magnâ gaudet ſcribere mole Librum.
Scilicet Ars *quia* longa, brevis, *ſed* vita: *Magiſtris*
Ars ſemper longa eſt arte docenda brevi.

Sed tibi non ſudore novo ILLVSTRISSIME PRINCEPS,
Sunt diſcenda novus quæ Liber iſte tenet.
Prorſus namq; novi novus ille nihil tenet, omni
Complexu, præter Biblica dicta, ſuo.
Biblica dicta tibi quæ ſunt notiſsima dudum,
Atq; altâ dudum mente repoſta tuâ.
Nam magis aſsiduè quæſo quis Biblia tractat?
Plura quis ex Sacris dicta referre poteſt?
Plures Davidis ſacros quis reddere Pſalmos,
Quam tu DVX noſter IAN FRIDERICE, poteſt?